

**www.e-rara.ch**

**Claudii Galeni Pergameni, medicorum omnium fere principis opera**

**Galenus**

**Basileae, anno 1529**

**Universitätsbibliothek Basel**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-598>

Galenus Pergameni de morborum differentiis liber, Guilielmo Copo Basiliensi interprete

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



vo dilucidius intelligantur ea, quæ in hoc opere explicare de-  
creuimus, protinus ab initio quid sit morbus definiendum est:  
Deinde quot in uniuersum sint primi simplicesq; morbi, qui re-  
liquorum ueluti elementa quædã statuuntur. Postremo eos qui  
ex his componuntur, aggrediemur. Incipiendum autem uidetur  
ab eo principio, quod nemo nõ probat, nempe quod quiuis ho-  
mo sanum se esse arbitratur, quum partium corporis adminicu-

lo munijs ad uitam necessarijs citra noxam fungi potest. At partem quæ munus su-  
um obire nequit, ægrotam esse putat. Quibus sic iactis fundamentis, in altera duarũ  
rerum sanitas quærenda erit, aut in actionibus naturalibus, aut in constitutione in-  
strumentorum quibus actio perficitur, unde colligitur morbum esse uel actionis,  
uel constitutionis uitium. Verum quum quis uel dormit, uel in umbra & ocio de-  
git, uel discumbit, accidit interdum, ut nulla ipsius corporis pars moueatur, neq; ul-  
la res externa sensus ipsius afficiat, ipsum tamen sanum esse nemo negauerit. Vnde  
patet sanitatem non ab actione, sed à potentia potius esse definiendam, atqui agen-  
di facultas à naturali constitutione dependet, atq; in hac sanitas consistit, quæ actio-  
nis respectu, causæ rationem obtinet. Proinde siue omnium corporis partium natu-  
ralem constitutionem, siue actionis causam, sanitatem appellaueris, eadem erit utro-  
bique sermonis ratio. Quod si hæc sanitas est, eius contrarium erit morbus, nempe  
uel constitutio præter naturam, uel uiciatæ functionis causa. At manifestũ est, quod

B si affectum non naturalem dixeris, eadem erit significatio, & nomine usus fueris an-  
tiquo. Igitur si quot modis corpora à naturali habitu recedant, naturalesq; actiones  
perficere nequeant, inueneris, simplicium morborũ numerum in uniuersum depre-  
hendes. Adducamus itaq; hoc quoq; in loco solidũ principium, quod apud omnes  
homines in confesso est, nempe id quod naturale est, moderatum esse: quod uero à  
naturali habitu recedit, immoderatum. Proinde sanitas symmetria quædã erit, mor-  
bus uero à iusto modo declinatio. Sed quibus rebus à modo recedentibus morbus  
nascatur, posthac differemus. Iam manifestum est in eisdem rebus, quum à iusto mo-  
do recedunt, morbum consistere, in quibus quum modum seruant, sanitas constitui-  
tur. Proinde si meatuum symmetria sanitas est, eorundem à iusto modo declinatio  
morbus erit. Si uero calidi & frigidi, & humidi, & sicci temperies, sanitas est, ipsius  
contrarium morbum esse necesse est: Haud aliter si in alio quopiam genere sanitas  
consistit, in eodem, si à modo deflectat, morbus erit. Caterũ efficaciore ratione rem  
hanc contemplemur. Si detur corpus quam simplicissimum atq; unum, ipsum neq;  
intendi, neq; minui poterit, neque in hoc genere alterum altero, melius deterius ue  
inuenietur. At uero quia ex compluribus constitutum est, plurimi in ipso composi-  
tionis modi, alij alijs meliores peiores ue conspiciuntur. Atq; hinc colligitur, ut ea-  
dem composita interim meliorem, interim deteriore sortiantur conditionem. Et  
id quod optime cõstitutum sit, inter illa quæ ad eiusmodi genus spectant, optimum  
quoq; euadat. Vnde patet animatum corpora (ut aiunt) maioris minorisq; rationem  
fufcipere. Quippe tãta inuenitur in ipsis uarietas, ut alia optimo sint habitu, alia sim-  
pliciter quidem bono, sed non optimo: quædam quamuis sint sana, bono tamen ha-  
bitu priuata sunt. Ita quædam sunt parum firma, quædam etiamnum ægrotant. Ac  
horum ægrotatio interim leuis est, interim periculum minatur: idq; nonnunquã ue-  
hemens, nõnunquam mediocre. Neq; enim omnia corpora, siue sana sint, siue ægra  
æqualiter affici credendum est. Vnde patet animantis corpus nõ esse unum quem-

Morbus.

Sanitas nõ ab ac-  
tione, sed à  
potentia actio-

Sanitas

Sanitas est sym-  
metria.

**C** admodum Epicuri atomus, aut Asclepiadis incomposita corpuscula, quam ob rem compositum erit. Quod si ex atomis aut ex huiusmodi incompositis corpusculis quæ pati non possunt, constaret: compositionis duntaxat qualitate maioris minorisq; rationem susciperet, ueluti domus quæ ex lapidibus qui nihil patiantur constructa sit, eorum tamen inepta sit compositio. Quod si lapides ipsi quomodolibet patiantur, tum domus hæc multiformes habebit in maioris minoris uel susceptione modos. Igitur quæ corpora nostra à primo ortu ac suapte natura, & pati & alterari possint: non solum in compositione & partium conformatione, uerumetiam per se tota, maioris minorisq; rationem suscipient. Proinde tot morborum generibus, ijsq; primis ac simplicibus, & ueluti reliquorum elementis infestabuntur, quot fuerint ea quæ compositionem ipsam perficiunt. Verum quod per hæc uerba (per se tota alterari) intelligimus, id elementis impatilibus, nequaquam accidere potest. Quippe fieri non potest, ut insectile corpus (Græci atomum uocant) quicquam patiat, quamuis ipsius seu compositionem, seu conformationem pati posse, non sit alienum. *Atque* qui corpus animantis trifariam componitur, siue conformatur. In primis ex ijs partibus quæ similes appellantur, ut sunt arteriæ, uenæ, nerui, ossa, cartilagine, ligamenta, membranæ, carnes. Deinde ex instrumentis, nempe cerebro, corde, pulmone, iocinore, uentre, liene, oculis, & renibus. Tertius compositionis modus ad totum corpus pertinet. Porro singula instrumenta ex alijs, quæ sensus iudicio simplicia uidentur, sunt constituta. Hæc uero ex primis constant elementis. Igitur caro quatenus caro est, à primis elementis obtinet suæ compositionis differentias. At quatenus instrumenti cuiuspiam pars est, pro sui tum figmento, tum magnitudine efficit, ut instrumentum quoque & figmenti & magnitudinis uarias differentias fortiat. Principio itaque prioris sectæ placita tractantes, quot numero morbi, & quales sint inquiramus. Deinde ad eam sectam redituri, quæ corpora per totam substantiam alterari & transmutari fatetur. Sunt autem morborum prima genera duo, unum patentibus late meatibus, alterum quum clauduntur. Qui enim elementa impatibilia statuerint, ij in sola compositione pathemata inuenient. Atqui compositionis differentia omnes iam dictæ sunt, igitur necesse est quamlibet simularium partium recte ualere, si meatuum symmetriam seruauerit. Hac enim corrupta, à naturali habitu deflectit. Symmetria duabus discriminatur differentijs, nempe excessu & defectu. Vnde colligitur, simplicium partium primos morbos duobus constare generibus: altero quo patent meatus, altero quo clauduntur. Itaque si uel ossum aliquod, uel caro, uel reliquorum corporum (quæ sensus iudicio simplicia esse uidentur) aliqua, adeò fuerint uel astricta, uel rara, ut à mediocritate aberrant, ea male affecta esse pronuntiabimus. Quum uero inter utrunque excessum medium obtinent, tunc ut ad functiones sunt accommodatissima, ita optima ualitudine frui dicentur. Atqui exiguæ utrinque ab exacta symmetria declinationes, haudquaquam morborum nomine censentur, donec functioni cuiuspiam noxam quæ sensu percipiatur, inferant. Sed in his non parua maioris minoris que ratio habenda est. Quippe ametria, id est à iusto modo declinatio, quæ morbi nomine censeriqueat, magno distat interuallo ab ea, quæ ad unguem salubris est symmetria, atque in hoc spacio consistunt sanorum differentia. At in eo quod ipsum sequitur, quod ad eam quæ sensu percipi potest pertinet, morbi collocantur. Donec adeò à iusto modo fuerit aberratum, ut particula sequatur corruptio. Neque enim animantium corpora quomodolibet uel astringi, uel laxari suapte natura possint. Habent enim in hac re terminum, ultra quem progredi citra dissolutionem corruptionem que nequeant. Atque hæc est eorum, qui elementa nihil posse arbitrantur, sententia. Qui uero ipsa pati & in se inuicem efficere, & tota cum totis misceri, attemperari que autumant, ij necessariò tot morbos esse fatebuntur, quot fuerint prima elementa. Age igitur quatuor sint prima elementa, calidum, frigidum, siccum, humidum, quibus inter se inuicem temperatis, sanum euadet animans, si moderate misceantur: ægrotum uero

Corporis constitutio trifaria sit.

duplex corpus

Morborum numerus.

A uero si immoderate. Ac quatuor etiam erunt primi morbi. Vnus quidem calor à naturali symmetria deflectens, alter frigiditas, tertius humiditas, quartus siccitas. Itaque secundum alterius sectæ hypothesim, hi sunt in uniuersum morbi eorum corporum, quæ & similia uocantur, & omnino uidentur esse simplicia. morbos uero compositorum in nobis instrumentorum, utriusque sectæ autores habent communes. Percurramus igitur & hos paucis, si prius ostenderit quomodo sint communes. Etenim quum omne corpus sensus iudicio compositum (Græci anomíome res id di[s]similare uocant) quo probe munere suo fungí possit, non ex quibuslibet, & ut fors tulit, particulis, neque simpliciter ex indecente numero, uel magnitudine constitui, neque etiam pro fortunæ arbitrio compositionis modum habere debeat, colligitur in his quatuor generibus, omnium instrumentorum morbos contineri. Differentiæ uero per singula genera hoc modo accipiuntur, primum (quod diximus) genus est, quum decens particulæ forma corrumpitur, aut figura, aut concauitas male quadrat, aut etiam meatus, aut horum aliquod, quod adesse debebat, deperditum est: Ad hoc genus pertinent asperitas quoque & leuitas, quando non apte inuicem inter se commutantur. In altero genere quod simplicium primarumque particularum numero continetur, duplex erit morborum differentiæ. Aut enim deest aliquid, quod adesse oportebat, aut abundat quippiam, quod non erat necessarium. In tertio genere, quod ad magnitudinem spectat, itidem duplex inuenitur differentiæ. Quippe si ad nimiam magnitudinem attollatur id quod minus esse debebat, aut è diuerso extenuetur, quod maiori mole oportebat esse præditum, uniuersum instrumentum non rectè se habere dicemus. Per reliquum morborum genus, differentiæ à compositione nascuntur: aut enim positus à naturali habitu euariat, aut partes inter sese non bene consentiunt. Porrò quemadmodum primorum instrumentorum singula ex simplicibus corporibus, uel rectam, uel uiciatam compositionem sortiuntur, atque ex ipsis ut uel sana sint, uel ægra, obtinent: ita ex his ipsis primis instrumentis rursus secunda coalescunt. Etenim ex primorum instrumentorum numero sunt musculus, uena, arteria. Sed digitus secundi est ordinis, at digito magis pes, atque hoc multo magis crus. Nam in uniuersum quæcunque ex similibus coagmentatis unius functionis gratia creata sunt, in primo instrumentorum ordine numerantur: quæ uero rursus ex his componuntur, tametsi quammaximè unius totius instrumenti functioni deputata sunt, ad secundum ordinem reducuntur, iidem tamen sunt tum horum, tum primorum instrumentorum (quos diximus) morbi. Verum de instrumentorum differentiæ in alio libro disputauimus, nempe quæ ad amissim prima sint, mox quæ ab his secundo, & tertio, & quarto ordine sint collocanda: quippe sunt aliqua quæ ambiguas utrinque habent notas, ut uideantur tum ad primum, tum ad secundum ordinem pertinere: atqui in præsentia non opus est tam exquisito sermone. Hoc unum consideres uelim, simplex ne sit particula (quatenus sensus iudicat) an composita. Nam simplici, accidere solent morbi, quos diximus ex primorum elementorum differentiæ distingui. Composito uero reliqui, qui utrique hypothesi sunt communes. Nullum tamen morbi genus est, neque in simplicibus, neque in compositis, quod sit utrisque proprium, id enim haudquam fieri posse, ex diuidendi methodo ostenditur. At uero unus est morbus omnibus corporibus, tum simplicibus, tum compositis communis, siue ea ex primo, siue ex secundo, siue etiam tertio fuerint instrumentorum ordine, atque de ipso iam differemus. Methodus itaque qua huiusmodi morbus inueniatur, in hoc uersari uidetur, sit ne quippiam prædictis partibus omnibus commune. Si enim quum in naturali sunt habitu, sit aliquid ipsis commune, quod animanti aut functionem aut usum aliquem præstet, hoc profectò, si uiciatur, communis in ipsis morbus constituetur. Sed quid est hoc quod omnibus sit commune? partium utique singularum unitas, qua unumquodque corpus, si præditum fuerit, unum esse, & unam functionem uel unum usum perficere dicitur. Quæ si ex aliqua occasione soluatur, ipsa illius partis

Differentiæ as  
fectuum.

Duplex in corpore  
instrumenta

Hypothesis  
prior.

C morbus erit. Atqui quam in singulis partibus appellationem sortiatur hic morbus, paulo post dicemus, ubi iam dictorum generum differentias in suas partes dissecabimus. Aggrediamur itaque id quod proposuimus, rursus à priori hypothesi initium sumentes. Hæc enim duos ponebat simularium partium morbos, in meatuum ametría (id est à iusto modo declinatione) consistens. Vnum quum supra modum patent, aliterum quum constipantur. Atque uterque horum bifariam diuiditur: quippe constipatio fit, aut quum totum corpus undique in sese contrahitur, aut quum meatus ipsi obstruuntur. At latitudo ubi uel corpus ad omnem partem extenditur, uel meatus quodam modo expanduntur, quod fieri solet quum concidunt elementa, quæ proprie corpora appellantur, nempe prima, simpliciaque. Nam quæ ex illis composita sunt, syncrimata (quasi concreta dixeris) uocant. Porro altera hypothesi itidem duas habet morborum differentias: quippe simularia corpora interdum solis qualitatibus alterantur, interdum uero substantia quædam iam dictis qualitatibus prædita, fluit ad ipsa. Atque hic secundus modus tumorem in corpore excitat, qui nullum medicorum latere potest. Etenim erysipelata, phlegmone, œdemata, phymata, phygethla, struma, elephantiasis, psora, lepra, uirilignes, tumores duri, huius sunt generis, & facile deprehenduntur. At morbi qui in sola qualitatuum intemperie consistunt, non ita facile cognosci possunt, nisi pars ipsa plurimum à naturali habitu deflexerit, tunc enim haud difficile fuerit eos cognoscere. Quippe ubi calor totum corpus infestat, febris nominatur, qui & in partibus nonnunquam haud obscure apparet. Nam & crura ipsi qui uehementer & præter consuetudinem ambulauerint, & manus, si plurimum eas exercueris remigando, fodiendo, aut quippiam huiusmodi faciendo, calidiores manifeste uidentur: non solum laborantibus ipsis, uerumetiam ipsi qui extrinsecus eos tetigerint. Si enim magnus tumor in particula quapiam oriatur, ob affluentem aliquam substantiam calidam, is ad secundam morborum differentiam pertinebit. Verum morbi quos iam diximus, & affectus quoque qui aut ab adurente sole, aut calfaciente igne (incendium uocant, & ambustionem) uel in parte, uel in toto corpore relictum fuerint, ad primam sunt referendi. Eius uero morbi, qui calido opponitur, nempe frigidi, affectus in extremis partibus, adeo subinde manifestus est, ut ipsas emortuas decidere nonnunquam contigerit. At huiusmodi affectus in uniuerso quoque corpore accidit ipsi, qui sub uehementi frigore iter aggressi sunt. Horum enim alij in ipso statim itinere mortem obierunt, alij priusquam domum reuerti potuissent, diuersarium nacti, semimortui gelidique apparuerunt. Solet huiusmodi affectus accidere, & apoplecticis, & comitialibus morbis, & tremantibus, & conuulsis. Porro eum qui in itinere frigoris inclementia perierunt, alij emprosthotono, alij opisthotono, alij tetano, alij congelatione arrepti obriguerunt, alij quippiam apoplexiæ simile perpefferunt. Caterum in omnibus his quibus symptoma aliquod accesserit, ipsum non solum intelligentiæ adeo imponit, ut symptoma putent morbum esse, & morbum symptomatis causam. Quippe qui actionum noxas, morbos esse arbitrantur, non ab re conuulsionem, sentiendi uim abolitam, torporem, & id genus alia, morbos appellant. Sed nos ab initio de nominibus disputauimus, ut in his omnibus intelligas, non de rebus ipsis, sed de nominibus esse controuersiam. Quippe illi duntaxat reprehendendi uidentur, qui suam ipsorum hypothesin non obseruantes, quanquam errant, putant tamen sapienter se quippiam agere. Quippe audire licet eos quum distinguunt, dicentes: Si à phlegmone nascatur conuulsio, ipsam esse phlegmones epiginema (perinde ac si dicas aduentitium germen) & symptoma. Si uero à sola intemperie prodierit, morbum esse aiunt. Similiter de febre quoque statuunt, quippe eam symptoma esse arbitrantur, quum sensibilem aliquem partis affectum sequitur, alioqui morbum & pathos appellant. Qui etsi reprehensione maxime digni sunt, tamen alienam confutationem non expectantes, ipsi seipsos irretire uidentur. Igitur qui uel functionum offensas, morbos uocari statuerint (si hoc ipsum perpetuo constanterque defendant) uel alioqui hallucinantur ipsi, ut in nominibus errare uidentur, ita in rebus ipsis nihil

**A** nihil peccant. Sed medica nomina omnia, in alio uolumine accurate persecuti sumus: proinde qui recte ipsis uti uoluerit, eum tractatum percurrat. In praesentia uero (quia res ipsas considerandas suscepimus) sequentes praedictum de nominibus pactum, ad reliqua nos accingamus. De affectibus itaque tum calidis, tum frigidis nulla affluente materia iam dictum est. Neque diuersa ab his est humorum, siccorumque morborum generatio, quam tota corporum natura, nulla extrinsecus irruente substantia alterat. Atque ut exiguas mutationes deprehendere perdifficile est, ita magnae haud obscure cognoscuntur, praesertim ubi partes aliquae iam emortuae uidentur. Nam quaedam harum exiccant, perinde ac si sale conditae sint, id uero non ita crebro euenire solet. Contra quaedam adeo sunt mucidae, molles, & laxae, ut non solum tangentibus, uerum etiam aspicientibus innotescant. Quippe si particulas ipsarum manibus tractare tentaueris, illico defluere, & a digitis excidere uidebis, haud aliter quam aquam. Sic ossium quoque marcidiorum quaedam in sabulum ferè resoluuntur, exemplo lignorum quibus uetustas cariem induxit. Quaedam uero ob immodicam humiditatis intemperiem ueluti mucida demoriuntur. Caeterum reliquae omnes partium intemperies, si exiguae fuerint, ab indocta multitudine non percipiuntur: quam ob rem eas uulgo imbecillitates uocant. Etenim si phlegmone, uel ulcus, uel aliquid huiusmodi uentrem infestet, nullam aliam cruditatis causam quaerunt: ubi uero nihil horum apparet, tum uentriculi imbecillitatem in causa esse dicunt, tanquam aliud dixerint ab eo quod manifestum est, puta cibos non probe concoqui. Quid enim aliud intelligere possis, quam imbecillitas eius dicitur, nisi functionis infirmitatem? Verum non hoc, sed quae huius imbecillitatis causa, id uero quaeritur. Quid enim obstat quo minus uenter suo munere fungatur, ubi neque phlegmone, neque scirrhus, neque ulcus, neque aliud quippiam huiusmodi ipsum infestat: neque enim sine causa factum est, ut non probe concoquat. Itaque oportet omnino uel meatum ametriam, uel intemperiem incusare. Hinc etiam manifeste patet, nullum ex primis morbis, qui ad similes partes proprie pertinent, eos posse uia & ratione curare, sine primorum elementorum contemplatione. Sed hos in alijs tractationibus, prout res exposulabat, confutauimus. Id uero in praesentia scire oportet, omnem imbecillitatem, siue uentriculi, siue uena, siue arteriae, siue musculi, atque (ut simpliciter dicam) cuiuslibet instrumenti, tum uitalis, tum animalis, necessario uel ob meatum ametriam, uel ob intemperiem euenire. Verum quibus notis huiusmodi affectus deprehendi possint, non est huius negotij: quippe qui non notas scribere, sed ipsos primos morbos enumerare proposuimus. Hactenus omnes similium partium morbos recensuisse mihi uideor. Consequens est, ut eos qui ad instrumenta pertinent, percurramus. Iam uero alias demonstratum est, in ipsis esse unam aliquam quae sit actionis causa, reliquas uero omnes, ut huic usum quandam praestent, fuisse creatas. Proinde totius instrumenti functio maxime ac praecipue uitiabitur, ubi pars ipsa quae functionis est causa, aegrotauerit. Ac reliquarum partium omnium uehementiores affectus, actionem impediunt. Igitur qui non per seipsum, sed quatenus primo actionis instrumento nocent, actionem impediunt, non morbi, sed morborum causae sunt. Vbi uero nihil incommodant primo functionis organo, possint tamen functionem impedire, iam huiusmodi affectus morbi sunt appellandi. Nascentur uero, ut iam diximus, ubi uel conformatio a naturali habitu euariet, uel particularum debitus numerus, uel decens singularum magnitudo non seruetur, uel non ut oportebat inter se compositae sunt. Quoniam igitur natura (ut iam demonstratum est) nullam harum frustra fecit, sed ad eum finem formauit omnes, ut quodlibet instrumentum, uel commodius, uel tutius suo munere fungeretur, necesse omnino est earum noxas, quae functionem uel in totum prohibent, uel impediunt, in morborum numerum redigere. Quae uero ad primae partis, quae functionem efficit, noxam conferunt, eas morborum (ut nuper dictum est) causas appellare oportet. Quam ob rem & uaciarum, & uarorum, & plancorum crura, minus expedite suo munere funguntur, eo quod ab idonea figura deflexerunt. Itidem quibus fracta ossa non recte curata fuerunt, ne ipsi quidem huius membri officium probe perficiunt,

*Instrumentorum morbi.*

C Necq̄ nō male opus suū aggrediunt̄ crura, ubi ob uehementem articulorū dolorem, luxatio secuta est, aut cū perfracto iuxta articulos supercilio, articulus exiliēs prompte luxat̄, aut ubi eminentior callus articulo innascit̄, per huiusmodi affectus ob spacij angustiam totus articulus non facile poterit moueri. Atqui huiusmodi figurarum uitia aduentitia sunt. Nam sunt quaedā natiua, quæ in utero cōtrahuntur, prima statim conformatione peccante. Hæc in quacuncq̄ corporis parte euenerint, ex eadē animal efficiunt ægrotū. Oportet enim cordis, pulmonis, uentris, cerebri, linguæ, lienis, renū, ac reliquarū partium omnium seruari figurā, quæ si uitio quopiam offendit̄, totius instrumenti functionem deteriore reddi necesse est. Iam tum magnitudo, tum multitudo omnium concauitatū, quæ partibus debentur seruetur, necessario ipsarum occasione offendet̄ actio. Sed multiplices sunt huiusce morbi. Alij quia meatus coalescunt, alij quia idem à uiscidis crassisq̄ humoribus obstruuntur, consistere solent. Rursus alij quia exiccata sunt corpora, aut à uicina aliqua parte ingruente compressa constipant̄. Atq̄ corporū ipsorū, quibus huiusmodi sunt meatus, essentia, interdū uel indurata, uel phlegmone prædita, uel tabescens, uel suppurata, uel inflata, aut aliàs aduentitia magnitudine turgens, deinde sua mole proprias concauitates occupans, meatus obturat. Verū huiusmodi meatus longo interuallo differunt ab ijs, quos prioris sectæ principes ex primorū elementorū impatibiliū concursu ortū habere proposuerūt. Etenim intestinorū, uenarum, arteriarū, ac omnium huiusmodi instrumentorū meatus, & lati sunt, & manifesti, quos nemo non uidet. Quod si aliqui adeo sint exigui, ut sensum subterfugiant, nō tamen protinus huiusmodi meatus eiusdem sunt generis cū ijs, quos prioris sectæ autores instituerūt. Atq̄ per omnes eiusmodi affectus, in quibus corporū ipsorū in tumorem sublatorū meatus occludi cōstipariq̄ contingit, nōnunquā unus duntaxat est morbus: nempe obstructio, quæ functionē lædat, nōnunquā præter hunc alius quoq̄ corporū affectus instat, qui obstructionē efficit. Quod si corpus q̄d in tumore attollitur, nullā propriā habeat functionem, unus quidē erit morbus, puta obstructio, corporis uero quod in tumorem attollit̄ affectus, non morbus, sed morbi ipsius causa censeat̄. Si enim (exempli causa) tunica uenæ quæ in sima iocinoris parte continet̄, huiusmodi quempiā affectū sustinens, meatus constipet, per quē gibbi ipsius uasa sanguinē recipiunt. Duo existimandi sunt morbi, alter ipsius uenæ affectus, alter obstructio meatus. Quippe uenæ affectus obstat, q̄ minus sanguis utilis generet̄; obstructio uero ipsius per corpus digestionē impedit. Atqui harū functionū utraq̄ animanti est necessaria. Etenim manifestū est eos affectus, qui primò functioni officiant, morbos esse nominandos. Vbi uero nihil patit̄ uena, crassi aut̄ & uiscidi humores meatibus infixi, digestionē per corpus remorant̄, hic affectus (nempe obstructio) unicus erit uisceris morbus. Haud aliter in intestino, si sola fuerit obstructio, unicus erit morbus: at si phlegmone quoque infestet̄, atq̄ ob hanc internū ipsius spacium claudatur, prohibeaturq̄ excrementorū transitus, tū duo erūt morbi. Nā subinde morbus ex morbo nascit̄, ueluti in ijs quos diximus uidere est. Quando quidē phlegmonas, erysipelata, herpes, carbones, & id genus reliquos, febris comitat̄. Nonnunquā enim id q̄d effectū est, functionis est uitium, oportet ipsum tū pathema, tū symptoma nominare: quippe symptomatis causa morbus appellat̄. Veluti obstructio, ipsa enim in causa est, q̄ minus alimentū per corpus digeri possit. Quod uix autem quis sentiat, refrigeratio in causa est, atq̄ hæc morbi nomine censeat̄, à quo huiusmodi symptoma originē traxit. Itaq̄ quū affectus ipse functioni primo incōmodat, eius uero causa ipsam non lædit, affectum quidem morbum, id uero quod ipsum efficit causam morbi nominare oportet, id quod in succis crassis uiscidisq̄, atq̄ obstructione facile deprehendit̄. Quippe obstructio ipsa morbus est, succi autē causæ sunt morbi. Caterū concauitatū morbi, siue obstruant, siue immodice pateant, omnes ad cōformationis genus reducunt̄. Quippe in omnibus his, naturalis cōformatio impedita uidet̄. Necq̄ uero natura quū partes formaret eas frustra uel leuigauit, uel exasperauit. Hæc em̄ occasione per singulas partes morbi nasci

Morbus.  
Causa.

A bi nasci possunt, nempe exasperata ea parte, quæ suapte natura debuit esse leuis, leuigata uero ea, quam oportuit asperam esse. In hoc genere euidentissimæ innotescunt medicis ossium tum leuitates, tum asperitates. Neque non faucium quoque asperitas, ob quæ tussis excitari solet. Ac scire in præsentia oportet, ubi læsa est particula figura, simul cum ipsa uiciari meatum aliquem. Id quod in naso facile uidere est, quum enim ob uiolentum ictum sinus est factus, internum meatum adeo alstringit, ut per ipsum uel nulla omnino, uel admodum difficilis fiat respiratio. Atqui neminem latet in huiusmodi affectibus meatus constipationem esse morbum, quippe qui primo respirationis functionem obturbat, causa autem quæ ipsum præcedit, est resima nasi figura, quæ naturalis figuræ ipsius noxa est. Igitur parte quapiam in conformationis genere à naturali habitu aberrante, adeo ut functionis noxam subeat, prædictæ morborum differentie suboriuntur. In numero autem partium simplicium, ex quibus singula instrumenta constituantur, duplices inueniuntur morborum differentie, aut enim deest, aut abundat pars aliqua, atque in harum utraque rursus alia deprehenduntur differentie. Nam earum quæ abundant, alia ipsæ quæ naturali sunt habitu adnumerantur, ut si cuiquam sextus expullulet digitus, aut in oculo pterygion (id est unguis) aut in naribus corpulentum tuberculum, aut in alio quopiam meatu id genus aliud, sed horum aliqua inter morbos reputatur, ut pterygion. Nam quum plurimum increuerit, & pupillam obscurauerit, uisum impedit. Alia uero causa morborum sunt, ut tubercula quæ meatus obstruunt, in primis enim obstructio morbus est, quippe quæ primo functionem offendit. Quaedam uero toto genere præter naturam sunt, ut lumbrici, ascarides, lapis in uesica, grando in oculo, suffusio, pus, itidem acrochordones, melicerides, atheromata, steatomata, uutiligines, lepræ, calli. Præterea quicquid in abscessibus deprehenditur. Ex his ea quæ primo functionem impediunt, morbos esse dicemus, ut suffusionem: quæ uero non ita, morborum causas, id uero latere puto neminem. Earum uero partium quæ desunt, quedam radicitus perierunt, quedam ueluti ex dimidio & amputatae sunt, & mutilatae. Atqui manifestum est cuique huiusmodi complura protinus à prima generatione deprehendi. At uero ipsæ qui in lucem sunt editi, auferuntur subinde ossa integra ex digitis, membris, capite, & lateribus. Aufertur etiam nonnunquam digitus, pes, extrema manus, crus, cubitus, item uenæ uaricosæ, glandulae induratae, dentes exesi, atque eximuntur etiam gurgulio, omentum, præputium, & pudendi pars aliqua, ac subinde totum pudendum, similiter & testes. Sic correptus quidam non ita pridem uehementi uniuersi corporis conuulsione, linguae anteriorem partem mordicus amputauit, atque hic reualuit quidem à conuulsione: sed loqui ut antea haudquaquam potuit. Sub hoc genere continentur labiorum, aurium, narium (ut uocant) detruncationes. Sic partes quedam corpulentæ, aut uiolenter auulsæ, aut putrefactæ, funditus exsectæ sunt. Atque per huiusmodi miserias, siue una pars, siue duæ, siue plures desint, quæ uel omnino perierint, uel partim fuerint exemptæ, naturalis partium numerus erit imperfectus. Igitur quaecumque harum functionem impediunt, eadem ratione in morborum ordine collocari debent. Quæ uero partem aliquam aliam, actionis opificem uel refrigerant, uel ei non satis alimentum transmittunt, morborum causæ dicendæ sunt. Quaedam utroque tum causæ, tum morbi nomine continentur, ut gurgulio, quum funditus fuerit exsectus, & uocem obturbat, & pulmones, & pectus refrigerat. Quum enim ex eo libro, qui & functiones & usus ratiocinatione docet, didiceris omnium animantis partium, alias functionem aliquam toti animali utilem percipere, alias per se quidem nihil agere, sed usum quendam ipsæ quæ agunt præbere: proculdubio earum noxas, quæ actionem planè uiciant morbos, eas uero quæ usum aliquem subtrahunt, morborum causas appellabis. Proinde partes quæ duplicem uel functionem, uel usum obtinent, ex unica quandoque noxa, duplicem habebunt uel morbum, uel causam rationem. Quod si pars aliqua utroque possit præstare, nempe functionem & usum, ueluti gurgulio, eius abolitio una quidem ratione morbus est, altera uero morbi causa. Atqui manifestum est, ut ad reliquam partem, quæ adhuc manet & seruata est, morbus sit referendus, non ad eam quæ iam non est. Quippe non negaueris & uuam,

In numero differentie morborum.

**C** & gurgulionē (ut nominant) particulam esse spacij in ore, in quo sita est ea pars quæ nunc perpeti uidetur. Igitur quum abolita est, & spacium ipsum deseruit, totum id quod residuum est, morbum sustinebit. Eo cōstanter manente quod ab initio in confesso erat, nempe quamlibet functionem à morbo offendi. Quam ob rem aut ostendere oportet, & inspirationem & uocem nō esse functiones animantis, aut si id probari nequeat, manifestū fuerit abolitā uiam, morbū in palato efficere posse. Haud aliter dentis abolitio, oris morbus est, qui uel mandēdi munus offendit in parte quæ dentem amisit, si is ex molarium numero fuerit, aut simul edendi loquendiq; munia impedit, si ex corū numero fuerit qui cibos incidere solent, Græci tomeos uocant. Sic ubi linguæ dimidium abscissum est, reliqua pars mutilationem præter naturā sustinet. Itidem & de omento, & pudendo, & reliquis omnibus ita affectis dicendum est. Quod si quis huiusmodi non morbū, sed pathos, aut pathema uoluerit appellare, is non de re, sed de nomine contendet. Id uero facile intelligit per omnes iam dictos morbos, nō nihil ex magnitudine minui, tum linguæ, tum omenti, tum etiā pudendi, tum deniq; omniū huiuscemodi instrumentorū. Non tamen protinus animæ ipsius diminutionem adeo manifestam esse oportet, ut ob hoc mutilū esse uideat. Sed partium numerū quēdam amittit, tametsi per huiusmodi affectus, & arteriæ, & uenæ, & nerui, & cutis, interdū & adeps, & membranæ, & carnes eximunt. Atqui gurgulione, aut uaricibus incisis, numerus quidā partium ab ipsis instrumentis auferitur. Atq; omnia hæc ad immutatū partium numerū sunt referenda. Vbi uero ab instrumento quopiam aliquid eximit, sed non eximitur pars absoluta, huiusmodi affectus in utroq; ferè genere cōprehendit. Quippe deest animanti, tum simpliciu partium numerus, tum cōpositi instrumenti magnitudo, totū enim mutilatum est. Neq; ulli dubiū est, quin uterq; affectus, tum is qui ad numerū, tum is qui ad magnitudinem pertinet, in superiore prædicamenti genere, nempe quantitate cōprehendi possit. Quandoquidē quantitas duas cōplectit species, discretā, quæ proprie quantitas nominat, & continuam, quā Græci pelicon uocāt. Verū in præsentia, ut clarior esset doctrina, eas separatim distinguere uolētes, alteram ad numerū, alteram ad magnitudinē reduximus. Postea quā de morbis qui ad numerum spectant iam dictū est, eos qui particularū magnitudine consistunt (quomodocunq; eos nominare placuerit) persequemur, qui quidē à iam dicto genere distingui uident. Si enim seruate particula figuram suam magnitudo adeo uicietur, ut hanc ob causam actio impediat, accidens ipsum particulæ morbus erit. Veluti si in prima statim cōformatio, lingua uel ad tantā increseat magnitudinē, ut ad nullam oris partē sese deflectere possit, uel adeo sit exigua, ut nō omnes partes eius attingat. Verū qui post ortū iam perfecti uidentur, ijs nō ita crebro solent partes ad magnitudinē præter naturam attolli. Atqui minuunt subinde, appellaturq; morbus hic alijs atrophia (id est defectus cibi) alijs phthisis (id est tabes) ipsius partis. Porro immodica incrementa eueniunt, in ulceribus supercrescente carne, atq; in eo morbo quem priapismū uocant.

**D** Nicomachi uero Smirnaei corpus adeo immodice auctū est, ut ne mouere quidē se ipsum posset. Atq; hunc sanitati restituit Asclepiades. Vidimus etiā linguam cuiusdam mirū in modū auctam, idq; citra omnem sensum doloris, ut neq; œdema, neq; scirrhus, neq; phlegmone uideri posset. Nam neq; excauata est sub premēte digito, neq; sensum amisit, neq; dolebat. Sed hic affectus incrementū quoddā erat partiu, ita tamē, ut ipsa partis essentia ab omni noxa uideret immunis. Sic testiculos quoq; & mamas, alijs utrosq; alijs alterū dūtaxat, immodice increuisse cōpertū habemus. Ad hoc genus pertinet & struma (ut uocāt) quippe quæ imoderatius aucta, nō parū functioni incōmodat. Similiter oculorū quoq; anguli, ubi à iusto modo recesserint, siue imodice fuerint aucti, siue diminuti: Græci alterū *encāthida*, alterū *rhœada* appellant. Atq; huiusmodi sunt in hoc genere differētiæ morborū. Cæterū cōpositioe à naturali habitu aberrāte, morbi nascunt, in positu quidē, ut sunt articulorū tū luxatio, tū cōmotio. Itē si uel intestinū, uel omētū in serotū deuoluūt: hoc Epliplocœle,

illud

Morbi numeri

Tamen

Nicomachus

**A** illud Enterocœle Græcis nominatur. Vbi uero uicinarum partiū inter sese consensus à naturali ordine recesserit, ut si ligamentum uel laxum uel intentum uel abruptum fuerit: impediēt in ea parte motum articulis debitum. Huius generis sunt linguæ, pudendorumq; immodica uincula, quippe quæ linguam in loquendi mandendique functione impediunt. Pudenda uero ob auersum meatum cohibent, quo minus semen genitale procul rectoq; incessu, in fœminæ uterum iniicere possint. Eiusdem notæ sunt labia, palpebræ, digiti, sedes, atque aliæ huiusmodi partes, quū ob ulcus præter naturam coalescunt. Atque hoc pacto colligere oportet morborum species, quæ à compositione proueniunt. Iam ad reliquum, idq; quintum genus morborum transeamus, nempe unitatis solutionem siue illa simplicibus (quæ similes uocantur) partibus adueniat siue compositis: quippe cuius paulo ante inter communes utrisq; partibus morbos mentionem iam fecimus. Quum enim uel ligamentum uel arteria diuellitur: & totius instrumenti & ipsius diuulsæ partis, commune erit pathema. Nam utriusq; soluitur unitas: totius quidem, quia partes neque sibi inuicem coherent, neq; in unum rediguntur: partis uero diuulsæ, quia non manet una, quippe quæ in duas dissecta sit. Quod si non tota, sed pars eius aliqua fuerit diuulsæ, tum affectus hic non totius instrumenti morbus est, (nisi ex accidente, quod pars eius aliqua fuerit affecta) sed ad affectam duntaxat partem proprie insigniterq; pertinere uideatur. Porrò continui solutio, in osse quidē fractura nominatur, in carne uero communiter ulcus. Ruptura uero & conuulsio ab eodem genere manant. Nisi quod hæc neruis, illa uero carni tribuitur. Diuelluntur autem neruorum fibræ aut sub uio lenta aliqua atritione, aut ubi de repente affatimq; intenduntur. At quæ apospasmata, id est auulsiones uocantur, instrumentorum duntaxat sunt pathemata. Habes iam omnes simplicium morborum differentias. Consequens est ut compositos quoque persequamur. Igitur qui priorem hypothesein sequuntur, morbum quendam statuunt, ex meatuum laxitate constipationeq; compositum: non quod singuli partium culatim meatus, utrumq; sustineant, sed uicissim alij constipentur, alij dilatentur: ita tamen ut utrum magis accuses, latitudinem an constipationem meatuum in toto similari corpore, haudquaquam inuenias: neque etiam sumere queas sensibilem eius partem, cui alterum duntaxat assit: sed quacunque sumpseris, semper tota ab utrisq; afficietur. Alterius uero hypotheseis autores, solis qualitibus à naturali habitu aberrantibus, per singula corpora simularia quatuor compositos morbos dinumerant: calidum simul & siccum, calidum simul & humidum, frigidum simul & siccum, frigidum simul & humidum. Affluente autem ipsis essentia quapiam, itidem quatuor alij ex qualitibus eodem modo coniugatis nascuntur morbi. Quia uero continui solutio non solum instrumentis, sed simplicibus quoque corporibus accidere solet, idcirco connectitur ipsa nonnunquam iam dictis, iuxta utriusq; sectæ sententiam morbis compositis. Neque non simplicibus quoque, quos statim in huius operis initio descripsimus: quippe fieri potest ut pars aliqua sustineat ulcus, & simul uel siccitate uel humiditate uel frigore uel calore præter naturam afficiatur: aut etiam una cum ulcere simul & calore & humore infestetur. Igitur partes quas simul & ulcus & phlegmone afficiunt, trifariam à naturali habitu recedunt: etenim ob ulcus, partium suarum unitatem amittunt: ob phlegmonem uero, naturali sua temperie calidiores fiunt & humidiores. Deniq; tumor in ipsis, si ad tantam magnitudinem attollatur, ut ob hanc ipsam functio impediatur, morbus censeretur debet, alioqui uel symptoma uel pathema duntaxat, quemadmodum & dolor. Igitur quecunque pars una cum phlegmone ulcere quoque infestatur, eam triplici morbo affici necesse est: quamuis nonnunquam quatuor sustinere possit. Porrò phlegmonem in præsentia non nominamus pro ueteri more, partium ueluti inflammationem: sed rubentem renitentemq; tumorem, & qui dolorem inferat. Atque itidem in erysipelate nonnunquam usuuenit. Anthraces, id est carbones, aliter consistere haudquaquam possunt. Herpetes & cancri in his mediam naturam obtinent. Nam magna ex parte ulceribus coniuntur

*Solut. & unitatis morbus.*

*Compositi morbi.*

C guntur, interdum sine his cōsistere uident. Atque huiusmodi morbi compositi sunt, uel nullo comitante ulcere. Principio quod omnes ex abundante nascuntur humore. Erysipelas à flaua bile. Cancer ab atra bile. Phlegmone à sanguine. Oedema à pituita. Deinde quod omnes iam dicti humores, quanquam secundum speciem sunt humidī, potentia tamen non omnes humidī sunt. Nam atra bilis sicca & frigida est, flaua bilis sicca est & calida, pituita humida & frigida, sanguis humidus & calidus est. Postremo quod omnes hi morbi sibi inuicem implectuntur, neque facile aliquis eorū syncerus inuenitur. Nam phlegmone magna ex parte miscetur aliquid, quod uel erysipelatis, uel oedematis, aut scirrhī naturā seruet. Erysipelati autē, quod phlegmones, aut oedematis, aut scirrhī speciē referat: ita similiter in reliquis omnibus perpende. Itaq; multiformis est omnīū huiusmodi morborum compositio. Dicemus autem de ipsis copiosius in libro quem de morborum causis instituimus, atque in eo qui illum sequitur de symptomatis. Neque non in tractatu de medendi methodo, cuius gratia hos commentarios omnes conscripsimus. Postquam compositionis modum in simplicibus iam satis diximus: ad instrumentorū morbos transeamus, ostendentes quomodo ipsi quoq; inter se connectantur, si prius admonuerimus eius quod ab initio dictum est: nempe quod alij sunt primorum similiariumq; corporum morbi, alij uero instrumentorū compositorumq;. Etenim phlegmone ad prima corpora, Luxatio uero ad instrumenta pertinet. Quum itaq; membrū aliquod simul & luxatur, & phlegmone afficitur: luxatio quidem totius instrumenti primo morbus est. Phlegmone autem neque primo, neque proprie, sed per accidens. Quia enim phlegmone singularum ipsius partiū morbus est, erit utiq; totius quoq; instrumenti morbus, sed per accidens. Ita de oculis etiam & lippitudine dicendū est. Est enim lippitudo membranæ quæ ceratoide tunicæ adhæret phlegmone: quamuis ex accidenti oculi morbus esse uideatur. Atque euenit nonnunquam, ceratoide tunica altum habente ulcus, ut ipsa tota exesa, procidat tunica quæ sub ea ponit, rhagoïdes Græcis appellata, & distorqueatur pupilla. Horum trium affectuum quilibet oculi pathema putatur, quamuis & ulcus, & erosio ad solam ceratoïden pertineant, lapsus ad rhagoïden, & distorsio ad pupillā. Sed ut nuper dictum est, similiarium corporum morbi ex accidente, ad totum instrumentū referuntur. Quod si unum quodlibet ex ipsis, compositus morbus infestauerit, is quoq; ex accidenti ad totum instrumentum pertinebit. Atque ubi complures partes sunt affectæ, ita ut singulæ singulos sustineant morbos: tum sic quoq; totū instrumentū composito morbo laborare putabimus. Igitur fac esse (si ita fors tulerit) ut id in oculo eueniat. (Neque enim impossibilis est hypothesis). Nempe pterygion, id est, unguis, & lippitudo, & erosio ceratoïdis, & exitus rhagoïdis, incipiensq; apparere suffusio. Hic non esse unum duntaxat & simplicem morbum, id uero latere potest neminem. At non deerit quispiam, qui omnes huiusmodi affectus, compositū oculi morbū uocabit. Alius uero non unum compositum, sed plures dicit esse in oculo morbos, in diuersis ipsius partibus cōsistentes. Verum ob hoc haudquaquam variabitur medendi indicatio, cuius gratia omnes huiusmodi quæstiones tractamus: siue unus fuerit cōpositus morbus, siue plures, pugnantibus remedijs indigentes. Sed de his in opere de medendi methodo amplius differemus. At hoc in loco satis fuerit ostendisse, probabilem utrosq; fouere sententiā: tum eos qui plures esse morbos in oculo arbitrantur: tum eos qui, ut unum est instrumentum affectum, ita unum quoque morbum compositū autumant, quamuis (ut iam dictum est) multæ sint in ipso partes affectæ. Igitur quemadmodū simplicium morborum: alius quidem primo totius instrumenti morbus erat, ueluti suffusio: alius uero ex accidente, ut ulcus in ceratoïde: ita compositorū quoq; morborum, alij proprie ad totum instrumentū referuntur: nempe qui complures eius particulas simul infestant: alij uero per accidens, qui in una quapiam ipsius particula consistunt morbi compositi, ut lippitudo, quæ in hærentis membranæ phlegmone est: quippe phlegmonem compositum affectum esse iam demonstratum est. Quod si præterea ulcus in mem-

brana

Ulcus secundum humoris qualitatem differentia.

Morbi compositi

**A** brana suboriatur, sic profecto multo magis compositū morbū particula ipsa sustinebit. At nihilo minus totus ipse oculus composito morbo laborare dicendus est. Atque huiusmodi sunt, qui ex accidenti, ad totum referuntur instrumentum, morbi compositi. At uero ij per quos eodem tempore multæ partes afficiuntur, ipsorum instrumentorum primo compositi morbi sunt: præsertim si particulatim quouis simplicium, non ex accidenti, sed primo, totius instrumenti morbus fuerit, ut in oculo pterygion, id est unguis, suffusio, rhoëas. Horum quilibet proprius est oculi morbus. At quum simul concurrunt, compositum, propriumque oculi morbum constituunt. Igitur si hac uia & ratione processeris, facile omnes compositos instrumentorum morbos deprehendes. Nam omnes & persequi & componere, superuacuum mihi uidetur. Si enim simplices morbos omnes cognoueris, deinde quo pacto inter sese componantur didiceris, satis idoneus eris qui in reliquis particulatim te exerceas. Proinde si semel duntaxat, ea quæ in hoc opere conscripsimus, perlegeris, nihil utilitatis reportabis, nisi exacta diligentia crebro in ipsis te exercere studueris.

GALENI DE MORBORVM DIFFERENTIIS, LIBRI FINIS.

# GALENI PERGAMENI

DE MORBORVM CAUSIS LIBER, GVILIELMO

**B** ELMO COPO BASILIENSI INTERPRELE.



**M**NE siam morbos quot qualesque sint, & specie, & genere discriminos, tum simplices, tum compositos, superiore uolumine declarauimus. Consequens est ut singulorum causas persequamur, sumpto initio ab ijs animantis partibus, quæ & simplices, & similes nominantur: mox ad compositas, & instrumenta rursus transibimus. Posteaquam igitur demonstratum est (si eorum sententiam sequimur, qui substantiam generationi corruptelæque obnoxiam in unum redigi, alterarumque arbitrantur) omnem similaris simplicisque ad sensum corporis morbum, uel intemperiem quandam esse, uel partium quæ inter sese coherere debent diuisionem: aut (si alterius sectæ placita recipimus, quæ partes non in unum coalescere, sed uacuum quoddam spacium in omni corporis concretione intextum putat) meatuum ametriam, id est à iusto modo declinationem, aut partium quæ sibi inuicem ad sensum coherere debebant solutio. Incipiamus igitur nunc singulorum morborum causas considerare: prioris sectæ hypothesi (quam ueram esse credimus) innitentes. Erant autem (ni fallor) quatuor simplices morbi, & quatuor compositi, in crescente nimirum immodice uel calore duntaxat, uel frigore. Aut in altera oppositione uel siccitate, uel humiditate. Accidit uero non nunquam, ut coniugata simul qualitates augeantur, oriaturque morbus, uel calidus simul & siccus, uel frigidus & siccus, uel calidus & humidus, uel frigidus & humidus. Videamus itaque à quibus causis singuli dictorum morborum nascantur, incipientes ab eo morbo, qui in immodici caloris intemperie consistit. Atque reliqua corpora omnia quæ plus satis incalescunt, ita uidentur affici, uel ob motum aliquem, aucto calore, uel ob putredinem, uel quia calidiori cuiusdam corpori uicina sunt, uel quia constipantur.